

12



XVII, 472.

**HISTORIA**  
**CREATIONIS, LAPSVS**  
**ET REPARATIONIS HOMINIS**  
**PIO STUDIO ELEGIACO**  
**carmine contexta**

2

**M. THOMA MAVVERO**  
**SILESIO.**



**ANNO 1558. VVITEBERGÆ**  
**ex officina Laurentij**  
**Schuenenck.**

*Samt Ch. Cyri. W.*

AD SERENISSIMUM AC  
ILLVSTRISSIMUM PRINCI-  
PEM AC DOMINUM D. MA-  
*ximilianum Hungarie Regem &c.*

*Epigramma.*

Omnia uasta facit sæuis Bellona ruinis,  
Præcipue studijs est inimica pijs.  
Hospitium sapiens dedit olim Grætia Musis,  
Nunc est barbarico Grætia præda Duci.  
Italiam petiere fuga, sed fraudibus illa  
Pontificumq; armis perdita tota iacet.  
Hinc igitur dubijs fortunæ casibus actæ,  
Intrarunt fines Teutonis ora tuos.  
Hic habuere aliquam sed paruo tempore sedem  
Nam furit in nostra Mars quoq; dirus humo.  
Ergo per extremam Germani littoris oram,  
Hospitium miseræ supplice uoce petunt.  
Ne penitus nostro discedant orbe, benignè  
Inclyte Rex Musas tu releuare uelis.  
Hoc tibi pro merito condent præconia laudis,  
Virtutum testes has iubet esse Deus.  
Quod si Castalij respexeris agmina cœtus,  
Iuueris & patria numina docta fide.  
Hic quoq; Mauuerus cui dictant splendida  
Carmina perpetua te pietate colet. (Musæ  
Ac tua non tenui cantabit nomina uersu,  
Sed qualem Phœbus Pieridesq; probent.

Philippus Melantho



SERENISSI-

MO AC ILLUSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, D. MA-

ximiliano Hungariæ & Bohemiæ

Regi, Archiduci Austriæ &c.

Domino suo clemen-

tissimo.



LIM, in illo omnium ge-  
nere uirtutum & hone-  
starum artium florentis-  
simo seculo, maximus ho-  
nos Regibus ac Princi-  
pibus, cum à sanis uerisq; Philosophis,  
tum à Poëtis summis, habitus est. Per-  
spexerunt enim sapientissimi homines  
heroicas regiasq; uirtutes minime uul-  
gares esse, sed diuinitus paucis admo-  
dum ordinis Politici & œconomici  
conseruandi gratia collatas. Nam fie-  
ri non posse animaduenterunt, ut hic  
mundus diu incolumis stare possit, ni-  
si sint, qui sapientia excellentes, pro-  
bitate conspicui, autoritate graues,

A 2

& res

& rebus gerendis idonei reliquam  
multitudinem legibus & disciplina  
coherceant ac in officio retineant.

Hoc Plato, grauiſſimus Philoſo=  
phus in multis locis teſtatur. Quem=  
admodum, inquit, boues non à bobus,  
nec capræ à capris reguntur, ſed à  
præſtantiori genere nimirum ab ho=  
mine; Sic genus humanum infirmius  
eſt, quàm ut ſeipſum regere poſſit.  
Quare Deus præfecit Rebuspublicis  
heroas, qui cum habeant ipſi proſpe=  
ros ſucceſſus, nobis quoq; imperia eo=  
rum grata & facilia ſunt. Hi Reges et  
Principes uiri non niſi diuino motu  
& heroico res magnas gerunt, ſaluta=  
res Rebuspublicis, politias præclaris  
legibus ornant, diſciplina paſcunt, iu=  
ſticia, clementia ac omnis generis uir=  
tutibus, præcedunt, & tanq; blandi  
patres ſuos ciues & incolas ſummo  
complectuntur amore, ut qui ſubdi=  
torum ſaluti commodiſq; non ſecus  
ſeruire ſolent, quàm *ἔυσοσ γοι* parentes  
ſuorum

suorum liberorum curam gerunt. Hinc est quod Homerus Iouem Patrem uocauit. Quod enim patria potestas est in una familia, id regium est imperium in integro regno. Theseus apud Euripidem Rex placidus & bonus, breui quidem uersiculo si numerum spectes, sed copioso admodum si, quid in se breuitas illa contineat, euoluas, uirtutes regias erga subditos complexus inquit:

*ἐνεργετῆς βρότοισι καὶ μέγας φίλος.*

Vere *ἐνεργετῆς* qui tanquam Atlas quispiam Rempublicam quasi suis humeris sustinet, unde merito βασιλεὺς nomen apud Græcos obtinuit. Hæc tanta cura nisi ex summo erga ciues amore proficisci non potest. Nec frangitur animo usitata subditorum ingratitude, qui uerè regio animo fuerit præditus.

Tametsi autem multi Reges improbitate mundi & insidijs Satanæ decepti sunt, ac in Tyrannos degenerarunt:

A 3

tamen

tamen nequaquam audiendi sunt, qui ob  
uel plurimorum errata parum uerecun-  
de de regio munere & Principum of-  
fitio differere audent. Fatendum quid-  
dem est nihil Tyrannide immanius,  
Nec negandum, proh dolor, teterrim-  
a quaedam fuisse monstra, quae regi-  
um honorem ac dignitatem usurpa-  
runt, in quorum numero fuerunt Pha-  
laris, Dionisius, Echetus, Tarquini-  
us, Atreus, Nero, & huius generis  
complures *δὴλῆμονες βροτῶν* qui om-  
nem humanitatem exiisse & beluina  
prorsus uitam induisse uidentur.

Quid enim inhumanius potuit esse,  
quam quod Atreus fratri Tyesti  
propriis liberos comedendos appo-  
suerit? Quid indignius homine, quam  
quod idem omnem humanitatem, fi-  
dem sanctitatem à Principibus uiris  
alienam uoluerit? Sed colloquium  
ipsius cum seruo ex Seneca ascribam,  
quo magis ipsius immanitas conspicitur.  
**ATREVS.** Maximum hoc re-  
gni bonum est, quod facta domini cogitur



gitur populus sui quam ferre tam lau-  
dare. SER VVS. Quos cogit metus  
laudare, eosdem reddit inimicos me-  
tus, at qui fauoris gloriam uerè petit,  
animo magis quàm uoce laudare uo-  
let, ATREVS. Laus uera & humil-  
sæpe contingit uiro, non nisi potent-  
falsa, quod uolunt, uelint. SER VVS.  
Rex uelit honesta, nemo non eadem  
uolet. ATREVS. Vbicunq; tantum  
honesti dominantis licent, precario  
regnatur. SER VVS. Vbi non est  
pudor, cura iuris, sanctitas, pietas, fi-  
des, instabile regnū est. ATREVS.  
Sanctitas, pietas, fides, priuata bona  
sunt, qua iuuat reges eant. Ecce quàm  
graphicè hic sub persona Atrei imagi-  
nem Tyranni expressit Seneca, &  
contra quàm rege dignas uirtutes, sua  
oratione seruus commendauit. Non  
enim regium est facere quod libido  
suadet, sed quod ratio iusticiaq; mo-  
net. Quare laudandum est Xeno-  
phontis dictum.

μέτρον δὲ αὐτῷ οὐχ ἢ ψύχη ἀλλὰ ὁ νόμος  
ἔστι. A 4 EX

Ex his non est difficile iudicare,  
uehementer hallucinari eos, qui pro-  
pter multorum iniustam tyrannidem,  
in ipsum Regum & Principum sta-  
tum, qui Deum autorem habet, con-  
uitia iaciunt. Sed tale ingenium est  
malignæ naturæ, ut ne ordinationi  
quidem DEI parcat. At uiri boni or-  
dinisq; diuini amantes facile intelli-  
gunt Philosophorum et Poëtarum en-  
comia, de bonis Regibus ac Principi-  
bus non esse fumos, sed ueritatis te-  
stimonia.

Quis quæso mortalium satis agnos-  
cere potest bonitatem DEI erga eas  
Respub. quibus placidi amantesq;  
suorum reges contingunt, quibus cum  
chara patria chari sunt & incolæ? Sed  
Philosophorum & Poëtarum schola  
sic quidem de Regibus & Principi-  
bus sentit: Nunc autem quas uirtutes  
uerbum Dei requirit in illis uidea-  
mus.

Prima itaq; sit Regum & Principi-  
pum uirtus, cuius secundus Psalmus  
memi-

meminit cū inquit: Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, Seruite DOMINO in timore, & exultate ei cum tremore. Osculamini filium ne quando irascatur & pereatis in uia. Beati omnes qui confidunt in eo. Hic Spiritus sanctus uult Reges filio DEI procumbere ad genua, eum osculari, eiq; cum debito seruitio ueroq; cultu homagium præstare. Et quemadmodum pœnas minatur ijs, qui debitum cultum DEI filio exhibere recusant: ita beatitudinem obsequentibus promittit. Sic ergo prima uirtus regia est uera agnitio DEI, qui se patefecit in filio suo Domino nostro Iesu Christo. Sicut & Stigelius uenustè Martialis uersum, Principis est uirtus maxima nosse suos, uertit inquiens, Principis est uirtus maxima nosse Deum.

Huic secunda regia uirtus adiiciatur, quam Psal. 122. Regibus commendat: Lætor, inquit sanctissimus

A 5 Rex,

Rex, cum mihi dicitur: In domum Domini eamus. Hoc regium & dictum & exemplum uult ut Reges & Principes non solum uera pietate & agnitione DE I alijs antecellant, uerumetiam ut summum sit illorum gaudium habere Ecclesias benè constitutas ac consentientes in uera religione.

Sit tertia uirtus Regum ac Principum, quam idem Psalmus his uerbis effert: Propter fratres meos & proximos meos loquar tibi pacem, propter domum Domini DEI nostri quæram bona tibi. Hic significat Dauid uerè regium esse consilijs & facultatibus Ecclesiam iuuare, ac ministerium uerbi promouere. Huc spectat Esaiæ dictum cap. 49. Et erunt Reges nutricij tui & Regina eorum nutrices tuæ. Hac sententia Esaias non uulgarem fidei professionem requirit à Regibus, uerumetiam quoniam potentia rerum ꝑ copia ipsis quàm alijs is tributa est maior, uult ut Reges ac Principes

Principes Ecclesiam Christi (quam Satan cum suis belli ducibus Turca et Papa flumine sanguinis delere conatur) tueantur. Vult ut facultatibus suis Ecclesiarum ministros alant, uult ut scholas erigant, bona ingenia foueant, sine quibus uerbi ministerium collabi necesse est. Utinam Reges & Principes perpenderent quam augustus hic sit titulus, quo Spiritus sanctus ipsos ornat, dum eos nutritios Ecclesiae appellat. Quænam quæso gloria maior esse poterit? quod augustius nomen quam à Spiritu sancto Ecclesiae nutritium dici? Quid gloriosius Regibus mundi, quam quod rex cælorum Deus illis sponsam filij sui unigeniti Domini nostri Iesu Christi nutriendam ac fouendam comiserit?

Hanc quarta comitetur uirtus, quam Ezechias & Iosias sanctissimi Reges suo facto Regibus ac Principibus commendant, quorum Ezechias æneum serpentem fregit propter cultum

tum idolatricum ipsi à populo exhibi-  
tum. Tametsi autem Serpens ille à  
Mose duce populi DEI ex mandato  
DOMINI in deserto erectus fuit,  
præclarum profecto antiquitatis monu-  
mentum, memorandum *μνημόσυνον*  
beneficiorum Dei, qui huius aspectu à  
clipsadibus percussos sanauit. Insignis  
sanè typus Christi, qui in lignum ex-  
altatus languores hominum sanaret ac  
peccata expiaret: tamen sanctissimus  
Rex chariorem habuit populi Dei sa-  
lutem, quàm antiquum illud omniq̃  
seculo admiratione dignum monu-  
mentum. Iosias spurcitiem idolorum,  
quibus templum Domini foedè con-  
spurcatum erat penitus abrasit, emun-  
dauit, sustulit. Hinc igitur colligen-  
dum, quod piorum Regum ac Prin-  
cipum haud minima uirtus sit pro uis-  
ribus amoliri, quidquid ueræ Religi-  
oni obstaculo esse uidetur.

Huic uicina est quinta regis uir-  
tis digna uirtus, quæ in sanctissimi Ios-  
ia Regis

lia Regis exemplo conspicitur. Nam hic non solum idola prophanantia templum Dei sustulit, uerum etiam librum doctrinae coelestis diligenter inquisiuit, inuentum populo Dei studiose cognoscendum commendauit. Hoc factum pios Reges imitari decet ac curare, ut uerbum Dei in suis dictionibus quam liberrime ac purissime praedicetur.

Adiciamus & sextam uirtutem Rege ac Principe dignissimam, quam iuditiam uocare licet. Haec quatuor constat partibus, sapientia, timore Dei, ueritate, odio auaritia. Sapientia facit ne in iudicando aberret ignorantia recti. Timor Dei personarum respectum excludit. Veritas legis regulam cum aequitate temperatam sequitur. Odium auaritia lutum oculis mentis abradit, ut quod & uerum est sine impedimento uideas & quod uere uides citra malitiam iudices. Haec uirtus pio iudici Exod. 18. commendatur.

Hactes

Hactenus recensui ueras uirtutes  
quas uerbum Domini in Regibus ac  
Principibus requirit, à quibus Philo-  
sophicæ illæ abelle nequaquã possunt.  
Imò potius in Christianis principi-  
bus ueræ uirtutes fiunt, quæ in Eth-  
nicis uirtutum fallaces tanquã umbræ  
extiterunt. Nulla enim uirtus quan-  
tumuis speciosa suum nomen sine ti-  
more Dei tueri potest. His itaquã uir-  
tutibus munitus Rex uel Princeps,  
sentiet uerè suum regnum stabile fo-  
re Deo, qui salutem dat Regibus, ex-  
cubias agente. Nulla enim uis maior,  
ut uerè inquit Seneca, pietate uera  
est.

Hæ autem uirtutes, Serenissime  
Rex, cum rectè considero omnes in  
T. R. M. conspicuæ sunt. Quis enim  
nescit te uera agnitione Dei sicut se in  
uerbo suo tradito per Prophetas &  
Apostolos, ac misso Filio, patefecit,  
præditum esse? Hoc tuum gaudium  
ingens est uidere consentientes in ue-  
ra pietate subditos, Consilijs & facul-  
tati-



statibus te Ecclesiae Christi nutrimentum  
declaras. Pro uiribus omnia quae ue-  
rae Religioni aduersari animaduertis,  
amoliri conaris. Cultum Dei uerum  
abolita superstitione quotidie magis  
magisque instauras, ita ut omnes pii &  
uerae Religionis amantes cum ingen-  
ti laetitia, tua erga Ecclesiam Christi  
beneficia & amorem contemplantur.  
In iudicijs quoque sapientiam Principe  
dignam coniunctam cum timore Dei  
& ueritate ostendis. Breuiter uerus  
Rex, paterque patriae es, cui nihil anti-  
quius pietate uera, nihil pace iucundius  
us, nihil subditorum salute charius.

Hic igitur uirtutum tuarum iu-  
cundissimus chorus, Illustrissime Rex  
mihi animum fecit, ut hoc meum qua-  
lecuque scriptum T. R. M. dedicare  
sim ausus.

Spero enim fore ut pro solita tua  
regia clementia, qua omnes comple-  
cteris etiam hunc qualemcuque labo-  
rem, ad emolumentum Ecclesiae susce-  
ptum

ptum benigna manu, serenoq; uultu  
acceptes. Dominus noster laudauit  
mulierculam, quæ exiguum æs quod  
habuit in gazophylatium misit; Non  
enim tam rei prætium quæ offertur,  
quàm animum offerentis respicit Do-  
minus, apud quem affectus rebus præ-  
tium imponere solet: Hunc summum  
cælorum Regem R. M. T. imitari  
cupio, si de hoc meo scripto & dono  
quod offero, iudicare uelis, quod te  
facturum minimè diffido. Deus pater  
Domini nostri Iesu Christi te suo spi-  
ritu sancto impleat, ac in uia pietatis  
ueræ dirigat, & R. M. T. quam diu-  
tissimè in nominis sui gloriam, ac Ec-  
clesiæ Christi ædificationem  
incolumem, & animo &  
corpore conser-  
uet. Amen.

Sereniss. R. M. T.  
humilimè deditus

M. Thomas  
Mauuerus.

HISTORIA  
DE CREATI-  
ONE, LAPSV ET REPA-  
ratione hominis pio studio  
collecta &c.



**E**sse DEVM perhibet rerum pulcherrimus ordo,  
Illius & uerè numina magna probat.

B

Quodq;

Quodq; sit omnipotens intelligit indita nobis  
Libera mens mentis liberioris opus.  
Cui sunt diuinæ radiantia semina lucis  
Infusa Archetypi pignora certa sui.  
Qui sese huic moli & uasto sic miscuit orbi,  
Præsentem ut referant quæq; minuta DEVM.  
Ipsius at quæ sit natura aut grata uoluntas,  
Quoq; modo agnosci se uelit atq; coli.  
Nullius hæc potuit sapientia cernere mentis,  
Non ratio hæc proprio lumine ducta capit.  
Sed labat & densis iacet excæcata tenebris,  
Hunc modo, nunc illum somniat esse DEVM  
Quaq; timor curæq; trahunt morbiuè nocentes  
Hac ruit & trepidans Numina quæq; colit.  
Solutus ueri natus de corde parentis,  
Ipse suum ostendit uoce sonante patrem.  
Exposuit uerumq; DEVM causamq; salutis  
Quoq; modo fuerit iustificandus homo.  
Huc homines igitur magna de clade uenite  
Huc dilecta cohors scemina uirq; ueni.  
Non tibi fictorum gentilia numina Diuum  
Non tibi Papatus dogmata falsa canam.  
Nec tibi sanguinei referam certamina Martis  
Carmimbusq; ueham furta nefanda deæ.  
Sed iuuat æterno qui condidit omnia uerbo  
Dicere coelestis facta stupenda DEI

Scilicet

Scilicet ut uerbo motum spirante crearet,  
Ex nihil, omne quod est, cum nihil ante foret.  
Ut quoq; Tartarei miserè decepta Draconis,  
Tunc fuerit turpi foemina uirq; dolo.  
Et quomodo, & per quem Stygia de morte redempti  
Sint iterum eterno pignora grata DEO.  
Sed ne res ipsas mea longa proemia uincant,  
Te duce susceptum Christe petamus iter.

Ante Chaos rerum & fabricati exordia mundi,  
Ante eum & si quid longius esse potest.  
Iam fuit omnipotens Deus unus originis expers,  
Qui quod ab eterno est id sine fine manet.  
Immensus, uerax, sapiens, bonus, ordinis autor,  
Viuida natura & libera, casta, potens.  
Qui sese inspiciens seq; alto corde uolutans,  
In mente effigiem concipit ipse sui.  
Hanc dum perpetuo sapienti in pectore uersat,  
Signitur eterne mentis imago λόγος.  
Quæ non Idea est uanas peritura per auras,  
Qualis in humana mente uidenda uenit.  
Sed natura etiam est Deus atq; essentia uerax  
Filius, æterni lux genuina Patris.  
In quo uirtutum summarum lucidus ordo  
Emicat, & patrium fulget in ore decus.

Et quoniam placidus, sapiens, & mitis uterq; est,  
Illorum inter se mutuus ardet amor.



Vna etenim mens est amborum eademq; uoluntas,  
Alter & alterius pectus amore trahit.  
Iste amor amborum persona est tertia uiuax,  
A uero ueniens  $\alpha\nu\epsilon\nu\mu\alpha$  & utroq; D E O.

Is dulci

Is dulci accendit castissima corda fauore,  
Et retinet nexu pectora iuncta suo.  
Hic DEVS, æternus Genitor, genuinaq; proles,  
Filius & missum flamen utroq; DEO.  
Condidit hanc uastam mundi sine semine molem,  
Cui formam ornatæ iussit inesse domus.  
In qua diuinæ imprimerent uestigia mentis,  
Utq; operis ferret gaudia plena sui.  
Principio explicuit cœlum in bis quatuor orbes  
Indidit & uarijs fata futura modis.  
Summus habet stellas sublimia corpora fixas,  
Qui uirtute sua sidera cuncta trahit.  
Vertitur hic uasta specie pluuiosus Orion,  
Syrius hic rutilo flammeus ore micat.  
Hic Draco flumineo tractu complectitur Vrsas,  
Hac agitat currus Cassiopæa suos.  
Errantum inferius stellarum turba uagatur,  
Quæ solita est nullo fixa manere loco.  
Hos inter medio ceu Rex sol orbe rotatur,  
Ut cœlo leges condant & astra regat.  
Hic lucem impertit reliquis ceu luminis autor,  
Lunaq; ad hunc phœoris temperat ipsa suas.  
Non aliter terram mirè exornauit & inum  
Hanc opifex rerum iussit habere locum.  
Aptius ut uires stellis cœlestibus ortas  
Accipiat, uarias sentiat atq; uices.

Ad quam ceu centrum lapsu grauiora feruntur  
Corpora, & hanc sedem pondera quæq; petant.  
Terram etiam arboribus uestiuit, ut ordine certo,  
Producat fructus annua dona suos.  
Addidit innumeris permixtas floribus herbas,  
Et cultam ornatu diuite pinxit humum.  
Lusit in his pulchris diuina potentia rebus  
Quæ certa æternæ pignora mentis habent.  
Tandem etiam miris animalia condita formis  
Quodq; iubet speciem prognerare suam.  
Sed decrat mentis natura. capacior altæ,  
Quæ tantis opibus præficienda fuit.  
Ergo opus aggrediens maius deliberat antè  
Ipse DEVS, tandem sic Pater orsus ait:  
Nunc genus humanum coelestem condere prolem  
Fert animus, uiuax quæ sit imago DEI.  
Sit sapiens etiam similisq; per omnia nobis,  
Quæ regat imperio cætera cuncta tuo.  
Pòst etiam æternos nobiscum uiuat in annos,  
Grataq; diuinum nomen in orbe colat.  
Dixit, & accipiens resoluta pondera glebæ,  
Effinxit pulchri membra decora uiri.  
Inde animam inflauit uiuam culpaq; uacantem,  
Vt uerè ardescens posset amare DEVM.  
Adiunxit lecti sociam ne solus oberret,  
Sed seruet casti fœdera casta thori.

Mox homin



Mox hominem in mundum posuit uelut amphitheatrum  
Ut memor autorem cerneret inde suum.



Ut quoties Solem aspiceret uel cornua Phœbes,  
Cogitet æterni est hoc genitoris opus.  
Reuera diuina fuit non terrea moles,  
Nam mens humanarum sanctificauit opus.

C A

19/6

*Ipsē creaturas perfectē agnouit, & inde  
Nomina naturæ certa cuiq; dedit.  
Notitias habuit puras nec turbine mixtas,  
Ipse animi uires rexit & ipse λόγος.  
Inpita fulsit ei sanctæ sapientia Legis,  
Quæ lux immota est normaq; firma Dei.  
Sensit & interius renouato pectore motus,  
Conformes menti notitijsq; bonis.  
Mens addicta DEO, finem non amplius ullum  
Sectabat, Domino quam placuisse suo.  
Huic paribus studijs, similiq; ardore uoluntas  
Coniuncta, harmoniæ consonus ordo fuit.  
Cor quoq; non aliud nisi uera & recta probabat,  
Nulla repugnantis signa laboris erant.  
Deniq; luce DEVM & constanti fine colebat,  
Mensq; illustris erat cognitione Dei.  
Hæc placuere DEO, temploq; habitabat in illo,  
Sic homo iusticiæ lumine plenus erat.  
Letitiâq; Dei perfusus pectore toto,  
In Domino uixit letus ubiq; suo.  
Hic status, hæc hominum pulcherrima forma manebat  
Tali liber erat conditione DEO.  
Verum ubi diuinas humano in corpore dotes  
Conspicit, ætherea pulsus ab arce Satan:  
Illico tartareas mouet ira percitus umbras,  
Et quæ gesta modo uiderat ista refert.*

HUC

Huc dilecta ueni, dicens, adcurre caterua,  
Ut quæ uisa mihi quanq; stupenda scias.  
Imminet exitium socij, mihi credite, uobis,  
Impendet regno iamq; ruina meo.  
Instat enim pestis Stygiæ non parua paludi,  
Cum consorte sua non tolerandus homo.  
Quin igitur uestro mihi quin solatia regi,  
Quin opportuno tempore fertis opem?  
Dixerat: ecce ruens arrectis auribus adstat,  
Obseruatq; suum turba ministra Ducem.  
Consultant uario miscentes murmure uera,  
Quaq; uelit, profert, quisq; nocere modo.  
Insidias homini secum meditatur. Et ipse  
Dux Erebi, tetro spirat et ore minas.  
Procedunt Stygiæ Satana præeunte cohortes,  
Atq; Ducis cingunt millia multa latus.  
Et meditata quidem, sed abest occasio, fraus est,  
Qua uirus possent exeruisse suum.  
Limina iamq; duo Paradysi nota frequentant,  
Ut uesci solito posset uterq; cibo.  
Ecce grauis medio stat pomis arbor in horto,  
Arbor clara mali nomine, clara boni.  
Ergo diuinis cum cauti legibus essent,  
Contrectare nefas poma sacrata putant.  
Carpebant igitur molles per robora fetus,  
Quæ circa uetitum nata fuere locum.

Verum dum socijs per syluam passibus errant,  
Diuersisq; legunt germina nata locis:  
Ecce uident uetita quod pendet ab arbore serpens,  
Qui flexu lignum cinxerat omne suo.  
Accedunt propius tacito mirantur & ore,  
Quid conspecta sibi talis imago uelit.  
Cumq; ita terribili sua pascunt lumina spectro,  
Serpens humanos edidit ore sonos.  
Cur uobis mediæ, dicens, DEVS arboris usum,  
O dura geniti conditione, uetat?  
Respondet mulier de costis nata mariti:  
Sic placuit summo qui tenet astra Patri,  
Arbitrio quoniam spaciose robora syluæ  
Subiecit nostro, quæ Paradysus habet:  
Inde licet uarios tutò decerpere fructus,  
Pomaq; quisq; sibi quæ placuere legit.  
Verum intacta manet, quam centrum sustinet arbor,  
Nam fuerat certam tacta datura necem.  
Ast ueterator eam rursus Draco talibus inquit,  
Non tibi non socio mors metuenda uiro.  
Verum si uetito placidos de cortice foetus,  
Gustabis propria decutiente manu:  
Conductura tibi nocituraq; noueris, atq;  
Viues æqualis conditione DEO.  
Namq; is, nature ne uis sit tanta create,  
Diuine menti qualis inesse solet.

Notitia

Noticia quæ clara boni quæ clara maliq;  
Arbore ab hoc uoluit uos cohibere manus  
Ergo quid ô mulier dubitas? decerpe, uidebis  
Ex usu quàm sint ista futura tuo.  
Nec mora: blandiloquis Satanae dum credula dielis,  
Protensa carpit poma uirago manu.  
Munera lecta placent, odor haud ingratus, & ori  
Dulcior expressus nectare succus erat.  
Datq; suo partem coniunx ceu fida marito,  
Delectatq; cibi gratus utrumq; sapor.  
Quo moriture ruis? cur ô cur deficis ultro?  
Siccine cura fuit posteritatis Adam?  
Sed uix concaluit sacrum inter uiscera pomum,  
Ventriculi cœpit uixq; calore coqui.  
Ut ueteratoris solertem Dæmonis astum  
In male disposito corpore sensit Adam.  
Nam modo diuinæ fuerat qui mentis imago,  
Vas tetrum Satanae factus atrocis erat.  
Et pro iusticia labem, uitaq; perenni,  
Aeternæ subijt uincula dura necis.  
Heu mihi quàm teter est, & quàm foedata ruina,  
Archetypum nulla parte referre potest.  
Mens tenebris cœca est, dubijsq; erroribus intus,  
Euripus ut medias fluctuat inter aquas,  
Ipse auulsa DEO à uera regione uoluntas  
Cedit, & imperium mentis iniqua fugit.

Cor

Cor pugnat, legemq; Dei procul excutit, inde  
In scelus affectu non moderante ruit.  
Deformatus homo sit semina prima reliquit,  
Atq; sui templum desijt esse Dei.  
Ergo Dei metuens, sceleris sibi conscius, iram,  
Spreuit rectoris quod pia iussa sui.  
Qua ratione potest alti fugit ora tonantis,  
Antraq; deserta sede priore petit.  
Adcurrens igitur regi genus omne ferarum  
Condolet, & medicas uult adhibere manus.  
Sed misero frustra, frustra medicina paratur,  
Cura creaturae non habet ulla locum.  
Quin potius mandata Dei dum respuit ante,  
Par est hunc poenas sustinuisse pares.  
Ambo sed incerta trepidi dum sede uagantur,  
A tergo insolitus spargitur ecce sonus:  
Pulsat enim summo demissus ab aethere limen  
Angelus, & gladium uibrat utraq; manu.  
Cedite diuino referens discedite iussu,  
Protinus aut ensi subdite colla meo.  
Siccine seruatis summi praeccepta tonantis?  
Iussa ne sic uobis sunt uiolanda Dei?  
Audit Adam fugiens trepida cum coniuge moestus,  
Et post insuetos incolit exul agros.  
Ante fores caeli clausas Adamante sedebant,  
Et spes haud illis ulla salutis erat.

Ante

Ante oculos tristis rapidæ stat mortis imago,  
Post tergum rabido fulminat ore Satan.  
Nullus erat miseros qui restituisse ualebat,  
Tàm fuit hic lapsus res inimica DEO.  
Angelus ex multis nec erat tot millibus unus,  
Soluere qui poterat debitra λύτρεα DEO.  
Quicquid erat cœlum, quidquid uastissima tellus  
Nil nisi tunc mœror, nil nisi luctus erat.  
Tota uicem Domini rerum natura dolebat,  
Cum Domini pariter mœsta dolore sui.  
Ipsa etiam fulsere minus noua sidera cœlo,  
Nec sua iam tellus munera, ut ante, dabat.  
Obstupere malo tanto sancta agmina cœli,  
Turba ministra hominis, turba ministra Dei.  
Solutus at in tanto Satanus noua iubila luctu  
Tollit, et in miseros plaudit ouatq; reos.  
Dummodo diuino sic aduersatus honori,  
Exitij comites possit habere sui.  
Hæc spolia ampla refert humana ex clade Tyrannus,  
Has scelerum causas infidus hostis habet.  
Ipse sed ante alios patrio mœrore Creator  
Angitur, atq; hominem penè creasse piget.  
Dum sanctam effigiem, bona cui communia secum  
Fecerat, usq; adeo degenerasse uidet.  
Iamq; erat, ut moto collapsus cardine mundus  
In priscum rueret, quod fuit ante, chaos.

Iamq;

Iamq; erat, ut Stygij serpentis nexibus hærens  
Inferni gemeret uincula lapsus Adam.  
Hic illa æterni clementia summa parentis  
Cuius nos omnes turba creata sumus  
Protinus huic miseræ cupiens succurrere massæ  
Ad natum loquitur talia uerba suum:  
Huc ades, his succurre malis mea, nate, uoluptas,  
Huc age qui toto charior orbe mihi es.  
En miseros homines serpentis uulnere cæcos,  
In Phlegetontæum quos trahit error iter.  
Undiq; falluntur dira caligine noctis,  
Quorum cæca grauis pectora lapsus habet.  
Viribus humanis nequeunt aut arte iuari,  
Non opera, aut meritum hos eripuisse ualet.  
Non cinere asperso uaccæ, uituliue cruore  
Non hirci letho purificante luem.  
Non exquisita Sanctorum morte uirorum,  
Quinimo Angelico nec mediante choro.  
Debita quis poterit nisi tu persoluere λύτρα?  
Iustitiamq; iræ sustinuisse meæ?  
Tu generi humano peccati mole grauato  
Optatam, solus nam potes, affer openi.  
Cui λόγος, & dulcis summi genitoris imago  
Hoc erit hoc omni tempore fœdus ait.  
Ne pereant homines me me fecisse fatebor,  
Peccati immensus quicquid hic orbis habet.

Adsum



Adsum nil metuens Stygij mala cuncta Tyranni,  
Ille meus quamuis hostis acerbus erit.  
Vos hominum tristes igitur confidite mentes,  
O regni consors turba beata mei.  
Quid lacerare genas prodest, quid plangere pectus  
Non ablata dolor dona referre potest.  
Tollite depressos uultus, ac ora leuate,  
Tollite quæ media lumina morte natant.  
Virgineo uobis benedictus semine natus,  
Cum ueniet mundi dulce salutis opus.  
Lethiferi quatiet tunc aspera colla Draconis,  
Fortiter anguicomum conteret ille caput.  
Ille ego naturam uestra de carne resumens,  
Paruus ero humana conditione puer.  
Cumq; ero sic similis fragili sine crimine massæ,  
Vilis & abiectus tunc ego dicar homo.  
Tantæ molis erit uestros tolerare labores,  
Et semel amissum reddere pacis opus.  
In planta faciet dirus mihi uulnera Serpens,  
Ille struet uitæ plurima damna meæ,  
Omnia me contra, si quid queat, ille mouebit,  
Seuiet infernæ dira caterua domus.  
Ipsa sagittifera mors insidiosa pharetra,  
Oblita tartareo spicula felle geret.  
Et uelut ad fixam iaculans sua fulmina metam,  
In me telorum diriget omne genus.

As

sum



Ast minime poterit licet hæc nimis ausa nocere,  
Et uitam tumulo non abolere meam.  
Illius ante meos oculos cum robore uirtus  
Turpiter & quæuis illius arma cadent.  
Ille ego nam surgens uasto rediuiuus ab orco,  
Discutiam forti perfida regna manu.  
Sic cum uestra meum sanabit uulnera uulnus  
Vos mea in astrigeras euehet ulna domos.  
Hac igitur primum solatur uoce parentem  
Filius è patris quam tulit ipse sinu.  
Vox est ipse λόγος, nouus ast in pectore motus  
Spiritus est, credi qui tibi Christe iubet,  
Quare homo uenturo postq; de semine uocem  
Audiit, hoc esset quod reparanda salus.  
Protinus horribilem deponit corde pauorem  
Inferniq; metus iam procul omnis abest.  
Nititur & solo uerbornm pondere, credens  
Semen ob hoc quod sit gratia parta sibi.  
Et spe fretus ea, chara cum coniuge, multa  
Exigit in uero lustra timore DEI  
Et nunc carnalis defunctus munere uitæ,  
Incolit athereæ coelica regna plage.  
Dicta sed hæc quoties tractauit mente Tonantis  
Eua DEI, nullo non celeranda die.  
Fallor an interdum, felix ò uirgo locuta est,  
Que sine labe parens Emanuelis erit.

O uirgo

O uirgo felix, ô terq; quaterq; beata,  
Quam dignam tanto ducit amore D E V S.  
Hæc utinam thalamis generetur filia nostris,  
Filia coelicolis sponsa futura dijs.  
Aut utinam saltem parienti astare daretur  
Sic essem Dominae fida ministra meæ?  
Hanc quoties sobolem nostris complecterer ulnis  
Excuterent lachrymas gaudia tanta meas.  
Hereret nostris noctesq; diesq; lacertis,  
Quam tibi sancte puer basia multa darem?  
In gremio semper nostro tua membra fouerem,  
Officiosa tibi dextera nostra foret.  
Sed scælix inter quascunq; sit illa cohortes  
Virgineas, ex qua Rex erit ille mihi.  
Hæc quoties dixit, pedibus properantibus Abel  
Accurrit, dicti certior esse petens.  
Sepe suas genitrix iteravit amica loquelas,  
Et matris pendet natus ab ore suæ.  
Sepe sua tenera germanum uoce uocauit,  
Hærentem uepres inter & ante Caim.  
Huc germane ueni charæ ad solatia matris,  
Est sine nostra quibus uita futura nihil.  
Horrida quid facies? quid torui lumina uultus?  
Huc age, uenturum disce Caim DEVM.  
Sed si quando aderat post tempora longa uocatus  
Horridus & toto pectore scædus erat.

C

Sæpiam

80



Sæpius auertit matre obiurgante mimaci,  
Lumina conspectu penè timenda suo.  
Omnia sed cupidus didicit genetriris Abelus  
Dogmata, sæpe eadem dicere iussa fuit.  
Sæpius ex imo suspiria pectore duxit,  
Deplorans stultæ triste parentis opus.  
Sæpe retractauit charæ solatia matris,  
Quæ de uenturo dixerat illa DEO.  
Et si quando DEO calidis iugulauerat aris  
Agnicolum, memori pectore dicta tulit:  
Hic nos eripiet, dixit, pars ille doloris  
Nostri erit, ac humeris crimina nostra geret.  
Aeternum reddet nobis decus ille bonumq;  
Huic cadat in nostris uictima multa focus.  
Illa figura fuit uenturi uictima Christi,  
Huic altare grauis ligna fuere crucis.  
Hæc patribus sanctis æuo est repetita sequenti  
Concio, quotquot ab hac stirpe fuere sati.  
Imò prophetarum tandem celebrata per ora,  
Et toto sonuit nil nisi in orbe λόγος.  
Donec Idumææ longo post tempore genti  
Exhibitus supera uenit ab arce SILOH.  
Qui de Iessæo debebat semine nasci  
Ut perhibent ueterum mystica uerba patrum.  
Talia fatidico uelut & prædixerat ore  
Isacides, quando iam moriturus erat,

Non mea

Non mea posteritas amittet regia sceptrā,  
Nec prius à Solyma stirpe peribit honor.  
Doncc Iuda tuo natus de sanguine SILOH  
Missus ab ætherea sede redemptor erit.  
Virginis ante tamen grauida gestatus in aluo  
Semine quæ fuerat nullius usa uiri.  
Coniugis imò sui tactus ignara Iosephi,  
Afflatu est saltem turgida facta sacro.  
Hec licet humanæ non sint ita peruia menti,  
Diuinis tamen est rebus habenda fides.  
Nam cum tempus erat uentum tot euntibus annis  
Quo uenturus erat filius ille DEI.  
Ecce per æthereas missus delabitur auras  
Angelus, & Mariæ talia uerba refert.  
O salue æternam rebus paritura salutem  
Virgo, puellaris lausq; decusq; chori.  
Ne metuas omnes timidos sed pone pauores  
Deq; tuo puidos excute corde metus.  
En ego letarum uenio tibi nuntia rerum  
Fama per immensas aëre lapsa uias.  
Ausculata dictis adhibeq; fidelibus aures,  
Vera tibi dicam, sed grauiora fide.  
Ante nouum decies quam Cynthia cornibus orbem  
Implebit partu leta frueri tuo.  
Crede mihi, summum paritura Maria Tonantem  
Mater eius thalamo nullius usa uiri.



*En iam concipies utero pia uirgo, tuusque  
Coelesti tumidus pondere uenter erit.*

*Hæc ubi*

Hæc ubi fatus erat: Virgo suffusa rubore  
Castiloquo tales reddidit ore sonos.  
Ah quid ais? Tali cur me sermone fatigas?  
Ista puellari sunt aliena choro.  
Quæ nam si thalamos non est ingressa uiriles  
Eniti proprio semine uirgo potest?  
Menè putas igitur tam summo munere dignana  
Quæ gremio gestem pignora tanta meo?  
Illa ne uirgo DEI sum? Cuius scilicet intra  
Viscera totius conditor orbis eat.  
Sat scio me magna peccati mole grauata  
Sed uoci cupio fidere prompta tuæ.  
Ergo tuæ fiat dixit uelut ante ministræ,  
Gestabo nostræ læta salutis onus.  
Ergo quem spatij magnus non continet orbis  
Quem non cœlorum machina tota capit.  
Qui patris æterni, quo condidit omnia, natus  
Quiq; potente tenet condita cuncta manu.  
Virginis intactæ grauidam descendit in aluua  
Aluo uirgineo sustinuitq; geri,  
Descendit (miranda DEI clementia) morte  
Et tristi miseris uita salusq; fuit.  
Omnia qui finxit, confingitur artibus ipse  
Omnia qui fecit, factus est ipse miser.  
O bonitas immensa DEI, quæ maxima fulget,  
Quæ dabitur tanto gratia digna bono?

Magna quidem res est, quod mundum condidit autor  
Primus, & hunc certa iam ratione regit.  
Verū opus hoc magnū est, quod longè cetera uincit,  
Cuius ab aspectu mundus & astra stupent.  
Quod DEVS ingenti nostri inflammantus amore,  
Sydere a gnatum misit ab arce suum.  
Quem uirgo aetherea concepit desuper aura  
Vlla nec illæsi damna pudoris habet.  
Nam uelut oppositas solet irradiare fenestras  
Luna, per assuetas dum redit itq; uias.  
Vtq; domus penetrat saluo sol tecta metallo,  
Et redit infracto per loca prima uitro.  
Sic puer humanos caelo delapsus in artus,  
Virginis intactæ claustra uerenda subit.  
Intumuere sinus, foetus succreuit in aulo:  
Lætitiæq; dedit plurima signa nouæ.  
Et iam tempus erat nono dum Mense peracto  
Cynthia nocturno tempore lustrat humum.  
Iamq; dies aderat sanctis prædicta prophetis  
Virgo DEI natum quo paritura fuit.  
Ecce recens uolitat Galilææ fama per oras  
Fama minus solitæ nuper oborta rei.  
Scilicet Augusti ueniens ex Cæsaris aula,  
Qui tenet Ausonij regia sceptræ soli.  
Ille sui uires ut posset noscere regni  
Talia subiectis iussa uerenda dedit.

Ederet



Ederet ut quiuis decreto tempore nomen  
Et daret e partis iusta tributa bonis,  
Primus hic est census populis indictus, & illo  
Cirenus Syrie tempore praeses erat.  
Ergo capeffentes studio mandata fideli,  
Vrbem quisq; suae stirpis adire parat.  
Tempus erat sidus capri quo regnat aquosi,  
Et glacialis hyems frigore stringit aquas.  
Fronde carent Syluae, Zephyrus tellure recessit,  
Terraq; brumali squallet operta niue.  
Et furit Acolijs agitatus ab utribus, Eurus  
Saeuit & Arctoo uentus ab axe ruens.  
Interea Ioseph senior, pietatis amator,  
Qui satus e sancta stirpe Dauidis erat.  
Cum sibi sponsata Maria properabat in urbem  
Bethlemiam, nulli fertilitate parem.  
Huic Mariae praeter uia quot fuit ampla terenda,  
Coelesti grauidus pignore uenter erat.  
Et quamuis tardum nil praeter habebat Asellum  
Cuius consuevit corpore Nympha uehi:  
Caesaris ipse tamen quamprimum iussa capeffens,  
Cum grauida longum coniuge tentat iter.  
Iamq; trium spacium cum confecere dierum,  
Occiduo Phoebus flumine mergit equos.  
Bethlemiae cernunt humiles subsidere turres  
Eminus, & pingui menia clara solo.

Succedunt cupidi portis, & itinere fessos,  
Vexat anhela sitis, frigus & atra fames.  
Hospitis ergo petunt tectum releuentur ut artus,  
Ipsis & redeat qui fuit ante uigor.  
Cum subiêre domum dominum de more salutant,  
Postea sed Ioseph talia uerba refert:  
Clare uir, eximij præfers qui signa fauoris,  
Hospitijq; piè iura uerenda colis,  
Oro tuis famulos sine nos succedere tectis  
Daq; tuæ fessis hospita tecta domus.  
Iustitiæ memores iustos nos esse uidebis,  
Soluemusq; probè quæ soluenda forent.  
Hospes at audita Iosephi uoce rogantis,  
Rursus in humano protulit ore sonos.  
Nil iuuat, ut nobis tot uerba precantia dicas  
Non etenim facile pondus habere queunt.  
Quanta cohors hominum nostræ successerit aulae  
Cernis, & externis sint loca plena uiris,  
Ergo reuertentes alias intrate tabernas,  
Hic qui uos capiat non locus ullus adest.  
At precibus contra blandis pius instat Ioseph,  
Atq; recusatam denuo tentat opem.  
Huius, ait, ratio quæ iam sit uirginis ipse  
Cernis, & ut fessum clauserit hora diem.  
Totius & noctis color unicus, omnia frigent,  
Insuper & rigidum nix premit alta solum.

Si loca

Si loca nulla uacant, nos ingrediemur in istam,  
Quae stat gramineo cespite tecta, domum,  
Annuit oranti tandem, simul abdita monstrat  
Septa, quibus ualidi procubuere boues.  
Ingressi stabulum, domino bona cuncta precantur,  
Fessaq; torrenti gramine membra fouent.  
Interea reliqui quos aula suberba tenebat,  
Intus purpureis accubuere thoris.  
Pars reficit uires dapibus, pars munere Bachi  
Pars pedibus, iungens brachia, pulsat humum.  
Virgo sed in stabulis una uenerandus Ioseph,  
Iusta ferunt animo supplice uota DEO.  
Inde legunt magnos stipulae crepitantis aceruos,  
Lassaq; iucunda membra quiete fouent,  
O Bethalem densis quibus es suffusa tenebris,  
Nil tua quam prorsus pectora lucis habent.  
Ecce patris summi sese tibi filius offert,  
Sed tua barbarica lumina ueste tegis.  
Et iam tempus erat gelidus quo plaustra Bootes  
Urget, et in luna cornua curua nitent.  
Atq; suum tollens uolucris Tithonia collum,  
Exerto nitidum prouocat ore diem.  
Excutit ex oculis uirgo castissima somnum,  
Sentit ibi partus tempus adesse sui.  
Ergo uerecunde tendens ad sidera palmas,  
Fundit coelesti talia uota patri.

C 5

Summo



*Summe Pater, spaciofa tenes qui sidera coeli  
Invictum robur dextera cuius habet.*

*Tu me*

Tu me de multis legisti millibus unam,  
Vt genitrix nati dicerer esse tui.  
Hora uenit, ualidas mihi des in coprore uires  
Vt soluam partum molliter ipsa meum.  
Cernis ut á reliquis penitus contempta relinquare,  
Ergo mei solus tu miserere D E V S.  
Sic ubi cœlestem patrem per uota uocasset,  
Ecce DEVS uoto parturientis adest.  
Ex utero prodit Mariæ sanctissimus infans,  
Sic tamen ut maneat uirginitatis honos.  
Sicut erat sine peccato conceptus in aluo,  
Natus ibi prorsus sic sine labe fuit.  
Vt peperit, capitis tegmen sibi detrahit ipsa.  
Inuoluit nati membra tenella sui,  
Iamq; fouet gremio, iam uerbis oscula miscet  
Dulcia, mox ulnis candida colla premit.  
Sedulus interea congesto gramine Ioseph,  
Extruit infanti, qua datur arte thorum.  
Imponit puerum, sceno simul obtegit illum,  
Aspera ne saeuo frigore lædat hyems.  
Has tibi nascenti cunas, puer alme, ministrat  
Mundus, & his tractat te bone Christe modis.  
Dignus es argento, solido pretiosior auro,  
Vix ibi sed scenum, quo fruearis, habes.  
Virgo paterq; simul repetunt ab origine patres,  
Promissus toties hic quibus ante fuit.

Gaudia

Gaudia concipiunt animis, & pectora complent,  
Hinc dicunt grates supplice uoce DEO.  
Interea sese spatiosa uolumina coeli  
Pandunt, & pulsas nubibus igne micant.  
Cuncta silent, flammis geminat moderator Olympi,  
Sidere qui claro conspiciendus erat.  
Hunc iuxta summa coeli regione sedentem,  
Angelici glomerat magna caterua chori.  
Qui celebrans cantu Natalis festa Diei,  
Decantat nato carmina grata DEO.  
Excubias, ouium custodes forsitan agebant,  
Ista stelligeri sub regione poli.  
Aspiciunt coelum, mirantur & istud apertum,  
Auribus aspiciunt dulcisonumq; melos.  
Pars tremit & dextra crebro sua pectora pulsat,  
Pars precibus supplex sollicitatq; DEVM.  
Ecce repente uires coelo delapsus ab alto  
Angelus, alloquitur talibus ore modis.  
Tollite corde metum, uanas deponite curas,  
Concipiant de me spem pia corda bonam.  
En ego de coelo missus noua gaudia porto  
Vobis, quae mundo nec reticere queo.  
Est hodie VOBIS, VOBIS saluator IESVS  
CHRISTVS Bethlemia natus in urbe Dauid.  
Hic puer amissam serpentis fraude salutem  
Resituet, factus uictima grata patri.

Nam

Nam prius hoc uobis sacri cecinere Prophetae,  
Hoc uoluere sacris significare suis  
Omnia nunc cessant igitur praesagia uatum,  
Sunt etenim pueri mystica tanta typus.  
Sed tamen ut uerbis magis his credatis euntes  
Bethlemiam uestram flectite rite uiam.  
Signa puerperium uobis testantia dicam  
Quae uos iam memori mente notare uelim.  
Vilibus implicitum pannis, foenoque iacentem  
Cernetis puerum, qui bona tanta dabit  
Haec ubi dixisset tenues secedit in auras,  
Et redit ad sancti caetera membra chori.  
Stelligerum dulci resonat modulamine coelum,  
Et geminat tales coelica turba sonos.  
Inclita caelesti laus et sit gloria patri,  
Qui tenet excelsi regia sceptrum throni.  
Aurea pax terris, mortalibus una uoluntas  
Adsit, ut optatae semina pacis alant.  
Inde senex inter pastores ora resoluens,  
Ad socios reliquos talia uerba dedit.  
Auribus hausistis, coram quae retulit iste  
Angelus aetherea missus ab arce poli.  
Ergo Bethlemiam, quaeso properemus in urbem,  
Visuri nati conscia signa noui.  
Sic ubi fatus erat placet haec sententia cunctis  
Passibus et rapidis ingrediuntur iter.

Amos

Iamq; propinquantes urbi tenebrisq; remotis,  
Prodit ab Eöis Lucifer ortus aquis.  
Mœnia frugiferæ terræ præclacra subibant,  
Intrabantq; DEO significante casam.  
Ecce iacet duris positus præsepibus infans,  
Atq; preces fundunt uirgo senexq; DEO.  
Illos, ut fas est, uno prius ore salutant,  
Post senior tales edidit ore sonos.  
O uenerande senex, & tu castissima uirgo,  
Quam fouet æterni gratia larga DEI.  
Cedite Messiam uideamus lumine natum,  
Sanguine qui placet nosq; DEVMq; suo.  
Huic iterum Ioseph uerbis respondet amicis,  
Esto bonis huius copia facta uiris.  
Ergo uerecunde coram præsepibus omnes,  
In terram flexo procubuere genu.  
Dulcia post labris admotis oscula figunt,  
Talibus & soluit quilibet ora sonis:  
Alme puer, salue, uotis optate parentum  
Es tandem pura uirgine natus homo.  
Quis tibi pro meritis dignas persolvere grates?  
Aut tua facta satis quis celebrare potest?  
Ah, puer alme, tuum quis complectetur amorem  
Quo genus humanum cum patre Christe foues.  
Nemo potest hominum, talem nec proferet ætas,  
Donec in hoc mundo lumina solis erunt.

Sis pre



Sis precor Emanuel nobis, dulcissime IESV,  
Et repara rursus dulce salutis opus.  
Respice nos miseros peccati crimine lesos,  
Illud & effuso sanguine terge tuo.  
Ac apud æternum precor intercede parentem,  
Ne uelit à facie nos remouere sua.  
Sed magis è uitæ misera si ualle uocemur,  
Nos sinat æterna prosperitate frui.  
Has ubi quisq; preces fudit cito munera promit,  
Optat & infanti fata secunda nouo.  
Inde suas redeunt ad oues, ac inter eundem  
Omnibus enumerant facta stupenda DEI.  
Pectore sed memori, uirgo pia, cuncta notabat  
Dicta, quibus pastor quilibet usus erat.  
Præterea insolitum liquido iubar æquore stella  
Extulit, in cunas fulsit & illa DE I.  
Admoniti cœlo labentia signa notantes  
Ex oriente ferunt qua tria dona Magi.  
Assyrias homini myrrhas, regi; metallum  
Granaq; Panchæi thuris odora DE O.  
Agnoscutq; DEVM, Dominum regemq; fatentur  
Et quæ iam dixi dona dedere DE O.  
Aduenisse diem, quo cœlo missus ab alto  
Speranda in cuius nomine certa salus,  
Esse nouum lumen miserandis gentibus ortum,  
Pronegiemq; alti lumen id esse DEI.

Se uidisse

Se uidisse locum, patriam, præsepe, parentem  
Autorem cœli se tetigisse manu.  
Oscula se blandis repetita tulisse labellis  
Se pressisse suis pectora pectoribus.



Audisse angelicas noctis quoq; tempore uoces,  
Monstrantes tutò quæ sit etunda uia.  
Destruet hic ortus fictorum templa DEorum,  
In flammâs ibit quercus & ara Iouis.

Nemo

Nemo magis pecorum spirantia consulet exta,  
Pendeat patrijs nulla corona fœcis,  
Vnus erit pastor per totas undiq; gentes,  
Curam animæ nostræ qui patienter aget.  
Vnum etiam ille sibi cunctis è finibus orbis  
Cui det coelestes, coget ouile, domos.  
Ad quid Idumæus, quid nam, qui regna Tyrannus  
Et uictor Solyme gentis habebat opes?  
Audit Iessæo natum de sanguine regem,  
Qui ferat Isacidum sceptrâ potente manu.  
Mox sua uipereæ rapiunt præcordia flammæ  
Atq; Palestina totus in urbe furit.  
Quid: regno excutiemur? ait, cape tela satelles  
Et fac infantum sanguine Bethla fluat.  
Non datur occulte, non unum perdere? certe  
Qui cadet, in multis millibus unus erit.  
Tela capit, quo nec uidit crudelius unquam  
Admitti facinus phœbus ab axe suo.  
Barbarus infantes occidit ab ubere raptos  
Miles, & innocuo Bethla cruore madet.  
Tum uero aspiceres ferientes pectora palmis  
Inq; genas tristes unguibus ire nurus.  
Omnia sunt mæstis lachrimantum plena querelis  
Et matrum planctus angulus omnis habet.  
Quid tamen ô diro crudelis & impie facto  
Quid iuuat tantum sustinuisse nefas?

D

NON

*Non minus insidiasq; tuas ensesq; nefandos  
 Exijt, & tutus Christus ab hoste fuit?  
 Tutus ab hoste fuit, solio sublimis auito,  
 Cepit & aeterna scepra tenere manu.*



*Inuadens non arua Nimo regnata uetusto  
 Non rapiens fasces Troica Roma tuos  
 Stulte quid Herodes promissum semen Abrahæ?  
 Impia quid Christum Roma uenire times?*

Notis

Non mundana rapit, qui dat coelestia regna,  
Parce nec insonti pollue cæde manum.  
Quem quæris, Deus est, Deus est, quem quæris Iesum  
Vana paras istis fraudibus arma DEO.  
Te tua sceptrâ iuuent, sua sint præsepia Christo  
Hoc bona contingent hospite cuncta tibi.  
Interea puerum genitrix comitata marito  
In minus hostili posset ut esse loco.  
Per loca sæuorum deducere plena latronum  
Octidui longum cogitur exul iter.  
Ne tamen exalibus posset uis ulla nocere,  
Texit eos patria pro bonitate DEVS.  
Angelicos addens comites in itinere cœtus,  
Cum puero quibus est cinctus uterq; parens  
Inde bonis factus iuuenis maturior annis  
Ostendit uiua uoce salutis iter  
Venit & ad flumen quo uult à Iohanne lauari  
Qui iussus tandem munera tanta subit.  
Spiritus en specie castam simulante columbam  
Sanctus in ipsius deuolat usq; caput.  
Filius in ripa perfusus membra liquore  
Victima stat summo grata futura patri.  
Constat & ex alto claram Patris æthere uocem  
Talia magnifico uerba tulisse sono.  
Hic meus est gnatus, quem tota diligo mente  
In quo sunt animi gaudia iacta mei

Illius monitis animos aduertite promptos  
 Vnanimis nato iungite corda meo.  
 O pietas Domini, dulcis uox, plena salutis  
 Non maiora Deus munera ferre potest.



Sed quotus est, uix è multis est millibus unus  
 Qui uerè capiat munera tanta DE I.  
 Contemnunt alij, multi non talia curant  
 Et gladijs alij munera tanta petunt  
 Ille sed officij sibi tradita munia curans  
 Signa facit, Patris uerbaq; sancta docet.

Quod

Quot tulerit duros noctuq; dieq; labores  
Dicere non diues ulla Thalia potest.  
Frigora, pauperiem, loca sola famemq; sitimq;  
Dedecus, inuidiam, scommata, flagra, dolos.  
Obrutus ærumnis, magnoq; dolore, ferebat  
Perpetuas curas perpetuamq; luem.  
Tam despectus erat populoq; abiectus ab omni  
Ut magis abiectus nemo fuisse queat.  
Hinc gemit ipse suæ cernens incommoda sortis  
Quomodo despectus semper in orbe fiet.  
Antra tenent uulpes, inquit, nidosq; uolucres,  
At non Messias, quo caput abdat, habet.  
Ordine completo, lugubri tempore, Mortem  
Debit ob nostrum, quo tolerare scelus.  
Totius & mundi peccata piare parenti,  
Factus in infami uictima grata cruce.  
Undiq; conueniunt agni Paschalis ad esum,  
In Solymæ nitidas, scemina uirq; domos.  
Suscipit illud iter Christus quoq;, cum tribus annis  
Postquam habuit uitæ bis tria lustra suæ.  
Verior agnus enim iam tunc mactandus in urbe,  
Quem Paschale pecus significabat, erat.  
Discipulos comites secum trahit omnia mortis  
Qui possent testes acta referre suæ.  
Iam confecta procul post interualla locorum  
Vrbs apices pandit conspicienda suos.

Aërias turres uicinaq; culmina stellis  
Dum uidet & templi splendida tecta Deus.  
Incipit irriguo lachrymarum flumina fletu  
Fundere, per madidas imbre cadente genas.  
Et patriæ plorare suæ miserabile fatum  
Arbitrio pessum quam uidet ire suo.  
Tandem ubi cessarant fletus suspiria longè  
Talia discipulis uerba duobus ait.  
Ite citi stabulo qua proxima rura uidetis  
Cum pullo uincta est mater asella suo.  
Soluite, & extemplo nobis adducite utrumq;  
Nam uos nullus erit qui prohibere uolet.  
Expediunt illi memores mandata magistri,  
Nec tardas faciunt in sua iussa moras.  
Adducunt asinam pullumq; repenti iugalem,  
Inq; asina Domini membra leuata locant.  
Ille sedet sanctamq; sedens accedit ad urbem,  
Ut solet in regnum Rex nouus ire suum.  
Parte sed ex omni quasi circumfusa ruebat,  
Turba ministerio carminibusq; frequens.  
Altera pars positas sternit per compita uestes,  
Ut uia Messiam mollior ista ferat.  
Spargit ab arboribus uulsos pars altera ramos,  
Victorem tali fassa decore DEVM.  
Cætera festiuos modulatur suauiter hymnos,  
Et Regi linguis plebs animisq; fauet.

Turbaq;



Turbaq; præcedens & quæ uestigia Christi,  
Ponè sequebatur talia uoce sonat.  
Sit fœlix Natus ueniens Dauidis ab alto  
Sit semper Regi gloria, honorq; nouo.



Qui benedictus adest, ut nos benedicat in æuum,  
Promimus huic alta uoce Osianna pium.  
Talibus exactis, Solymam cum Christus in urbem  
More triumphantis ingrederetur ouans.

D 4

Circum

rbag;

Circumquaq; ruunt, populorum examina, turbæ  
Aduentare DEVM nuncia fama canit.  
Vrbs commota fuit rerum clamore nouarum,  
Et super hoc omnes obstupere uiro.  
At rabies toto Pharisæica pectore Christum,  
Odit & insidias corde fremente struit.  
E mediæ placidum mox certant tollere Regem,  
Cuius inest regno nil nisi uera salus.  
Inplorant igitur mox Præsidis arma Pilati,  
Mollius ut totum perficiatur opus.  
Nec non ceu furijs agitati hinc inde recursant,  
Ut populi laudes & pia uota uetent.  
Ipse autem Christus diuino corde peractum,  
Curriculum uitæ sensit adesse sue.  
Ergo ubi tunc typici, charis cum fratribus, agni  
Sacratos caperet Paschatis ore cibos.  
Partitur fractum per corpora singula panem,  
Verbaq; discipulis fatur amica suis.  
Arripite atq; alacres porrectum sumite panem,  
Credite, pane sub hoc corpus & esse meum.  
Quod pro peccatis frangetur uictima uestris,  
Tollit & admissi criminis omne nefas.  
Hoc cum sumpseritis, mea tunc benefacta referre,  
Et duræ mortis uos meminisse decet.  
Distribuens patera, mensis quoq; uina remotis  
Et peragens, grates sic memorando, dedit.

Haurite

Haurite hæc omnes ( hauserunt scilicet omnes )  
Est unclum sanguis foederis iste noui.  
Pro multis meus hic sanguis fundetur, & ægra  
Eluet immundi pectora quicquid habent.



Hunc cum sumpsertis mea tunc benefacta referre,  
Et duræ mortis uos meminisse decet.  
Ac quoties panem hunc, quoties hæc pocula dignè  
Accipietis, erit certa parata salus.

D S

Accipite.

Accipite, & passi præconia tollite Christi,  
In terras Iudææ dum rediturus erit.  
Post ubi Paschalem carpissent ritè bidentem,  
Gethsemane assumpta rura cohorte petiit.  
Quis queat istius luctæ memorare stuporem?  
Et graue passuri uoce referre iugum?  
Qualiter aggrediens hostem inuictissimus Heros  
Fultus erat? Morti quantaq; damna dedit?  
Nam Cædroneas ubi præterisset Oliuas,  
In uiridanti horto uota ferendo patri.  
Tristia sanguineum sudabant membra liquorem,  
Irrigat & gelidum gutta cruenta solum.  
Improba pro nobis insons fert uerbera, tandem  
Sustinet insane uincula dura manus.  
Ducitur, ut latro, sæuos captiuus ad hostes,  
Licetorum scuticæ dira flagella ferens.  
Os tenuit clausum, trepidis ut ouilibus agnus,  
Quem trahit ad certam dextera sine necem.  
Verberat extremas nullis balatibus auras  
Sed silet, admotam subsequiturq; manum.  
Sicut ouis niuæ cum dat sua uellera lanæ,  
Perpetua linguam simplicitate tenet.  
Sic pius hic tenuit medius detrusus in hostes,  
Cunctaq; sedato pectore damna tulit.  
Spinea ferta sacra, uice, fert in fronte, coronæ,  
Constrictas loris concutit atq; manus.

Ad ferræ

Ad fera conuiuet rabidæ conuitia linguæ,  
sarcasmosq; graues consulit ille boni.  
Audit & ancipitis ludibria turpiter uulgi,  
Dum manet iniusti iudicis ante thronum.



Falsiloquis præbet placatas testibus aures,  
Scommata fert, rabies quæ Pharisæa uomit.  
Criminibus falsis onerant unumq; necari,  
Iniustis studijs uirq; puerq; rogant.

Quis

Quis memoret plagas, conuitia, uulnera, sannas  
Quæ patiens animo pertulit ille suc.  
Post condemnatus Præfecti uoce Pilati  
Atroce[m] mortem .nil renuendo, subit.  
Eductusq; crucem diuina in brachia tollit,  
Ac sub iam grandi pondere sæpe labat.  
Cum cadit, & lapsu saxo procumbit, amarè  
Vapulat, infesta dum modo surgat humic.  
Ut pia purpureus referat uestigia sanguis,  
Ingressus sacro qua pede pressit humum.  
Dumq; peracturi facinus gradiuntur ouantes,  
Et non portandæ par erat ipse cruci.  
Forte senem culto uenientem rure Simonem,  
Qui Cyrenea natus in urbe fuit.  
Obtulit incautum fallax fortuna, coactus  
Tristia cum Christo pondera ferre, tulit.  
Deueniens tandem loca mortis ad alta paratæ,  
Golgata quæ solito dicta fuere sono.  
Miles ei myrrha permixtum præbet acetum,  
Amplaq; permulto pocula felle madent.  
Hos ubi uix summo gustauerat ore liquores,  
Amouet à siccis pocula tanta labris.  
Protinus extensis configitur artibus alta  
In cruce, promanat sancta per ossa cruor.  
Quinetiam gemini pendent utrinq; latrones,  
In quibus ut summum prominet ille scelus.

Per q;

Percq; latus sanctum crudelem suscipit hastam,  
 Vnde aqua cum sacro mixta cruore fluit.  
 Tanta molis erat rigidam deuincere Mortem,  
 Humanamq; graui labe piare genus.



De cruce funesta pandit sua membra cruentus  
 Filius aeterni lux & imago Patris.  
 Membraq; purpureo pingit ueneranda cruore,  
 Verbere dum saeuo torta flagella tulit.

Senti

t

Sentit & aratos transfixo corpore clauos,  
Prædaq; pallenti fit nocitura neci.  
Is tamen ante quater transacti tempora mundi,  
Millia, condiderat quicquid hic orbis habet.  
Fecerat hos etiam, quorum tunc tempore pugnos,  
Pertulit & plagas & maledicta suo.  
Tristior at longè uestigia collocat inde,  
Remq; geri cernit relligiosa cohors.  
Hic pueros uideas flentes timidasq; puellas,  
Nemo potest siccis ista uidere genis.  
Matronas tamen ante alias inæstissima mater,  
Condit in irriguo lumina tota sinu.  
Stillantesq; oculos limo detergit, in illo  
Vix aliquem luctu uisa tenere modum.  
Cogit eam soçyâ materno in pectore flagrans,  
Insita quæ nobis cum fieremus erat.  
O cœli terræq; sator, tu sidera nuta  
Qui torques, quo stant omnia, quouè cadant.  
Quàm facies lachrymanda tibi, quàm tristia uultus,  
Lumina non siccis conspicienda genis.  
Heu quàm deflendum quàm lamentabile corpus,  
Quo latuit summi gloria uera Dei.  
Heu modo quàm seuis liuent tua corpora plagis,  
Et sacrum horrendo uulnere pectus hiat?  
Sentibus heu duris caput est cum fronte serena  
Perfossum, & facies, heu malè cæsa tumet.

Omnia



Omnia membra dolent roseo perfusa cruore,  
Pars nulla in toto corpore sana manet.  
Heu quàm triste nimis, quàm lamentabile funus  
Quod deflere satis nulla C. mœna potest.  
Quid uagus in terris peccator & orbis oberras,  
Auxilium querens omnis egenus opis.  
Expansis manibus pendentem respice Christum,  
Pro te factus homo sustinet ista Deus.  
Quinq; per innocuum perpeffus uulnera corpus,  
En monstrat dextram sanguineumq; caput.  
En tibi traiectas expandit cuspide palmas,  
Vulnificisq; uocat pectora nostra labris.  
Huc homines properate, moras deponite segnes,  
Huc pueri, iuuenes, foemina uirq; ueni.  
Huc quos peccati moles tristissima uexat,  
A me uera salus, non aliunde, uenit.  
Tollite terrigenæ foedissima ludibus ora,  
Vestra ad sidercas ora leuate domos.  
En modo cum quatuor sex lustra peregimus annis,  
Et uestro mortis nomine tela fero.  
Pro uobis mactor, pro uobis λυτῆρα parenti,  
Quæ posset nullus soluere, soluo meo.  
Pro uobis morior, pro uobis numinis iram  
Perfero, pro uobis repputor esse reus.  
Huc homines propius magna de clade uenite,  
Manantem fugitis forte cruore crucem.

FINIS

CruX fateor magna est, & iniquis aspera nodis,  
Et fluxu facta est sanguinis uida mei.  
Non tamen hæc gressus uestros deterreat, atrox,  
Abluit in uobis nam cruor ille scelus.  
Infermi multor pro uobis funere solum,  
Vulnificis cingunt horridaserta genas.  
Cerue flagellatum corpus, palmasq; pedesq;  
Fœdatam multo sanguine cerue comam.  
Sed quia supremo uoluuntur luminamorte,  
Attenta ad uocem uertite corda meam.  
Ad uestram ô homines sunt omnia facta salutem,  
A me uera salus pax requiesq; uenit.  
Nil iuuat ad uestram, præter mea uulnera, uitam  
Nil operis uestri sordida facta ualent.  
Omnia sunt nostro iam consumata cruore,  
Huic quisquis poterit credere, saluus erit.  
Hæc dicens, oculos iam dura morte grauatos  
Deijcit & nutu cuncta peracta notat.  
Talibus expirans totum tremefecit Olympum,  
Viscera & immensi sunt tremefacta soli.  
Dixisses magno ruiturum pondere mundum,  
Tantus ubiq; fragor, tantus ubiq; tremor.  
Omnibus incubuit nox orta nigerrima terris.  
Cum solis medium Currus habebat iter.  
Pallet, & in densis latitabat nubibus æther,  
Eripiens clarum lampada terrigenis.

Scinditur

Scinditur ingenti concussa uoragine tellus,  
Et pavidas mentes cura dolorq; tenet.  
Hic credam magno gemuisse dolore Tonantem,  
Aspicit ut nati tristia fata sui.  
Omnia lustrantes à terra uertit ocellos,  
Testatus luctum per data signa suum.  
Emicuit flammis & multis ignibus æther,  
Concussuq; poli culmina summa tonant.  
Horrida percurrunt immensum murmura cœlum,  
Mœnia iam mundi dissiluisse putes.  
Horribili tellus mugitu uasta mouetur,  
Tecta labant, turres altaq; templa tremunt.  
Obstupuit subita populus formidine, mundi  
Aeternas tenebras pertimuere uiri.  
Quæq; sub extremis terrarum partibus urbes  
Degunt, ingentes corripuere metus.  
Stare etenim cernunt densa caligine cœlum,  
Regnaq; se terræ uasta mouere uident.  
Lumen erat toto, uisu trepidabile, cœlo  
Nullum, nil usquam nox nisi cœca fuit.  
Incedunt mixti pueri trepidæq; puellæ,  
Cum nuribus matres ordine templa petunt.  
Suppliciter sacris adolent altaria donis,  
Inq; aris longè thura Sabæa crepant.  
Exquiratq; suis delictis conscia pacem  
Turba mali, ueniam per pia uota petit.

E

Et plæ



Et placare studet diuini numinis iram,  
Non fieri casu talia namq; uidet.

HOC

Hoc, Deus altitonans, potuit sceleratus Adami  
Morsus, ait, magni constitit ille mihi.  
Hic mihi deficiunt & uox & uerba, nec ulla  
Cantari hæc dignè uoce sonoq; queunt.  
Post ubi cæruleo se conderet æquore Phœbus,  
Et rapidi surgunt sidera clara poli.  
Impavidus stupidum accedit Prætores Ioseph,  
Et mercata leui sindone membra tegit.  
Centum adfert libras alöes Nicodemus amara,  
Clauduntur tumulo pallida membra nouo.  
Deniq; scruposo præcingunt ostia saxo,  
Custoditq; uigil busta notata cohors.  
Cumq; sub exiguo tegetetur puluere terræ  
Christus, Auernales depopulatur aquas.  
Est iter ad Stygiam ducit decliue quod aulam,  
Ditis ubi bifida regia fronte patet.  
Faucibus è primis effunditur halitus ignis,  
Infera sulphureas styx ubi uoluit aquas.  
Frigore commistæ sparguntur in aëra flammæ,  
Ac ibi perpetuo tempore regnat hyems.  
Hæc erat obscuris umbris aptissima sedes,  
Manibus hic uictrix mors sua iura dabat.  
Christus ut hos igitur Phlegetontis uinceret hostes,  
Ingreditur Stygij limina seu lacus.  
Primaq; cum rigida certamina morte capeßit,  
Illius & morsum spiculaq; ampla domat.

At Mors assuetis armata uiriliter armis,  
Subdere uult Christum legibus usa suis.  
Consimili studio pariter grassatur in illum,  
Sit quasi mortali semine natus homo.  
Conatur Stygijs illum retinere sub umbris,  
Vultq; in eo uires exeruisse suas.  
Sed cum uermiculam rabido cupit ore uorare,  
Qui uita humanae ponderis instar erat.  
Impingit uecors uncum Deitatis in hamum,  
Et frustrata graui robore uita cadit.  
Ergo potestatem perdit, qua praestitit, omnem,  
Ac temere uires conterit ipsa suas.  
Sic ut huic Domino iaceat Mors mortua prorsus,  
Nec quid ei damni uiq; doloq; struat.  
Non secus & cunctis, illi qui semper adherent,  
Coniuncti uera uiuificaq; fide.  
Interea Christus quando cum Morte cruenta  
Bella gerit, uires illius atq; domat.  
Fallor? an has moesto Pluto dedit ore loquelas,  
Ad socios regni, Rex uelut ipse, sui.  
O socij (nec enim ignari sumus ante malorum)  
Ingentes animos nunc reparate precor.  
Nunc opus est animis, opus est & pectore firmo,  
Indiget omnimodis artibus hora recens.  
Nec dubito, quin hoc uestra sit mente repostum,  
Quotquot in hac nostri degitis arce throni.

Quod

Quod uos fraterno cunctos complector amore,  
Cordis & ingenua dexteritate colo,  
Vos noui satrapas mihi semper adesse fideles,  
Vos edicta scio semper obisse mea.  
Ergo hodie pariter nostrum defendite regnum,  
In quo consimilis gloria uestra uiget.  
Reuocate animos, moestumq; fugate timorem,  
Sit procul à uobis mens tremebunda, uelim,  
Nam paucis referam, nunc quanta pericula nostris  
Impendent humeris, imperioq; meo,  
Forsitan est uobis Galileus notus Iesus,  
Qui Saluatoris nomen inane gerit,  
Quem uario prisca laudarunt carmine Vates,  
Atq; salutis in hoc deposuere scopum.  
Sed frustra, Nec enim mollis stat inertia nostra,  
Ut Stygium possint exuperare lacum.  
Fama tamen uerax de illo mihi uenit ad aures,  
Quod paret infernos despoliare lares.  
Et iam saepe meas temerarius impetit arces,  
Hinc animas cupiens eripuisse mihi,  
Elysijq; illas ad gaudia ducere campi,  
Sidereæ ut possint arcis honore frui.  
Sed dubio procul ista spe frustrabitur ille,  
Impos enim uoti cogitur esse sui.  
Durate, & uosmet rebus seruate secundis,  
Atq; in procinctu, state, manete, precor.

Nemo pedem referat, Nec enim decedere pulchrum,  
Turpiter hostiles & timuisse minas.  
Quod si sumetis paucillum ( ut spero ) laboris,  
Efficiam, ne uos poenituisse queat.  
Virtutem sed enim donis ornabo superbis,  
Et dabo militiae premia digna grauis.  
Dixit,, & extemplo sua munia quisq; subibat,  
Expediens Domini regia iussa sui.  
Sic ubi delectus toto celebratur in Orco,  
Praesidioq; Satan Tartara tuta facit.  
Intonat aeterni uox imperiosa Tonantis,  
Et sibi Tartaream portam aperire iubet.  
Tollite claustra, fores, & mihi cedite uestes,  
Laudis ut introeat Rexq; Deusq; potens.  
Nec mora, comparet rediuiui gloria Christi,  
Fulgor & in Stygij Principis arce micat.  
Disiliunt obices, portae reserantur & altae,  
Ianua nullius pollice tacta patet.  
Ecce reluctantur Christo ueniente tot hostes,  
Quotquot Auernalis curia Ditis habet.  
Vndiq; tela uolant hosti mimitantia mortem,  
Exerit & uires Styx tenebrosa suas.  
Praecipue Satanas peccati suator & autor,  
Tartarae cuius iura paludis erant.  
Fulminat, & uirus tetrus e naribus efflat,  
Atq; sui capitis cornua bina quatit.

Euomit



Euomit ore globos, & uertice tangit Olympum,  
Vult nec in hæc uictas tendere iura manus.  
Flammæ ex oculis illius promicat ignis,  
Dum sua detrectat subdere colla iugo.  
Ac alias formas assumit & omnia tentat,  
Et sicut Protheus unda fit ignis, aper.  
Sed nihil hic fraus ulla iuuat, neq; proficit astus,  
Illius & nullum fulmina pondus habent.  
Nolit inassuetas & quamuis ferre catenas,  
Ingeminet tragicas uictus & ore mimas.  
Attamen, ut faciles sparguntur in aëra fumi,  
Ipsius in uentos uox ita uana redit.  
Atq; sui nolens priuatur munere sceptri,  
Huius & astricta compede crura sonant.  
Mors etiam cuius nos tela timenda premebant,  
Ecce Redemptoris sub pede uicta iacet.  
Torqueat & uario quamuis sua lumina uultu,  
Et doleat regni diruta sceptrâ sui.  
Non tamen hic profunt quicquam tot fulmina, dextrâ  
Nec querulis huius uocibus omen inest.  
Sic igitur dextra cum uindice cœperat hostes  
Christus, & infernas uictor haberet aquas.  
Disyct, euertit, confringit & omnia uastat,  
In chaos ut sparsum rudera fracta cadant.  
Intima commotæ trepidabant uiscera terræ,  
Tartareas Christo concutiente domos.

Sicut & emisso sub apertos fulmine campos,  
Ita repentino terra fragore tremit.  
Attonitus subitis quando micat ignibus ether,  
Motibus & uarijs tota cietur humus.  
Sic etiam tellus commota fragore tremebat,  
Cum Phlegetontæ corruit aula plage.  
Elysijs campi qui gaudia læta colebant,  
Quid sibi, mirantur, murmura tanta uelint.  
Anxius illorum trepidos timor obruit artus,  
Nam miseræ cladis conscia signa uident.  
Dumq; metu trepidant, spes his solatia præbet,  
Fataq; sperari mens meliora iubet.  
Ac ita diuersi sunt inter gaudia luctus,  
Dum spes in medio fulget amicta metu.  
Interea Christus deuictis hostibus Orci,  
Elysijs nemoris regna beata petit.  
Est locus à Ditis tenebrosa sede remotus,  
Viuida Christiadum quem simulachra colunt.  
Ver ibi perpetuum campis sua gaudia præbet,  
Pictaq; purpureo germine terra nitet.  
Omnia sponte sua profert ibi terra, nec ullo  
Saucia fœcundas uomere fundit opes.  
Nectaris & niuei manant ibi flumina lactis,  
Ilice de uiridi flauaq; mella fluunt.  
Manibus hæc fuerat sedes sacrata beatis,  
Quæ uenerabantur corde timente Deum.

Hanc



Hanc igitur Christus cum peruenisset ad aulam,  
Cetera maiori lumina luce nitent.

E 5

Et sicut

Et sicut tenebris fulget quasi terra fugatis,  
Cum Sol è patrijs exerit ora uadis.  
Hæc loca sic etiam Christi fulgore nitebant,  
Omnia diuinæ plenaq; lucis erant.  
En Patriarcharum series numerosa sciebat,  
Tempora Messie læta uenire sui.  
Deq; præcul Christi uictricia signa uidebat,  
Iustaq; Tartareos uincula ferre Duces.  
Innumeros igitur tollebat in æthera plausus,  
Lætitiæ tantæ nec modus ullus erat.  
Hos ubi conspexit tristi squalore rigentes  
Christus, mox ad eos talia uerba facit.  
Salue dictorum seruans grex fide meorum,  
Salue turba meæ morte redempta crucis.  
En ego promissus uobis à tempore longo  
Adsum, de Stygio libero uosq; lacu.  
Consummata manent oracula Pneumatis almi,  
Iam uis Plutonis, me mediante, iacet.  
Terraq; tartarei superata palatia Regni,  
Submittunt uictas sub meâ iura manus.  
Fusus et infernæ iacet en exercitus aula,  
Qui quondam uobis sæpe molestus erat.  
Ergo Redemptori iam iubila promite læti,  
Pangite, Io Pæan, turba redempta, mihi.  
Ferte triumphales circum meâ tempora lauros,  
Psallite militiæ parua trophæa meæ.

Nec

Nec mora, dulcisonis pandunt in carmina uoces,  
Mellifluaq; colunt uoce sonoq; Deum.  
Hæc ita cum fiunt citò letabundus Adamus,  
Ad Christum uerbis talibus usus ait:  
Salue, mortalis reparator maxime lapsus,  
Atq; dator uitæ Christe benigne nouæ.  
Expectate diu nobis, promissæ Redemptor,  
In tenebris Orci scuitiaq; Stygis.  
Lætæ dies redijt, multos sperata per annos,  
Qua Phlegetontææ robora uincis aque.  
Nos & adoptatos patriæ ducturus in arces,  
A Stygio redimis pectora nostra iugo.  
Hæc nisi uenisset lux optatissima, posthac  
Non potuissimus regna uidere Dei,  
Quas tibi pro tanto referemus munere grates?  
Quo tua psallemus parta trophæa modo?  
Tu iam Peccati, Mortis, Plutonis, Auerni,  
Victor magnificum nomen ad astra feres.  
At nos, turba tuo non fictè dedita Regno,  
Voce triumphantem te referemus herum.  
Nostraq; posteritas longos mansura per annos,  
Offeret assiduè uota precesq; tibi.  
Te Saluatorem puro celebrabit honore,  
Te Mediatorem sentiet esse suum.  
Ac tibi Pontificis tribuet præconia summi,  
Qui placare Patris numina lesa potes.

Ac ita

Ac ita uictorem cum compellasset Adamus,  
Pectore letanti clamitat omnis . IO.  
Exhibitos Christus sed cum uidisset honores,  
Letanti turbæ talia uerba dedit:  
Surgite prostrata mecum de morte, Redemptor  
Vester ego uici fulmina dira Stygis.  
Me duce uicta iacent captiue uincula Mortis,  
Vindice me uobis coelica regna patent.  
Morte mea mortem uici, Phlegetontis et undas,  
Offensoq; dedi debita  $\lambda\upsilon\tau\gamma\alpha$  patri.  
Auspice me uobis aperitur ianua cœli,  
Que prius oppositis stabat operta seris.  
Sum uia credentes superas que ducit ad auras,  
Inueniet ueram me sine nemo uiam.  
Vos igitur mecum uicta Styge surgite, uestra  
Cum mihi sint stabili pectora iuncta fide.  
Simplicitate Deum trinum coluistis in una,  
Dum regeret uestri corporis ossa uigor.  
Vana nec idolis tribuistis numina, sicut  
Hec animo gentes cecutiente colunt.  
Præmia propterea tanta pietate feretis  
Digna, dabo uobis regna tenenda Patris.  
Surgite magnifici pompam celebrare triumphi,  
Longior ingressum nec mora tardat iter.  
Nam biberim mortis cum de torrente, reuertar  
Victor in æthereas patre iubente plagas.

Hic

His ita transactis applaudunt uocibus omnes.  
Atq; triumphantes ingrediuntur iter.  
Tertia iamq; dies claro surgebat Olympo.  
Atq; nouum Phoebi lumine mane fuit.  
Candidior præbet mundo sua lumina Titan.  
Lucifluumq; sua spargit ab arce iubar.  
Præter consuetum iubar exultabat, & ipsi  
Ter Phaëtonis equi consilière gradu:  
Florida purpureis se prata coloribus ornant,  
Pictaq; diuerso germine terra uiret.  
Splendida totius mundi quasi machina fulget.  
Induit & spetiem luce nitente nouam,  
Suauisonis uolucres concentibus æthera mulcent,  
Letaq; faulrici carmina uoce canunt.  
Ecce redit Christus superas rediuius in auras,  
Deuictæ mortis conscia signa gerens.  
Non rigidi moles hunc detinet ardua saxi,  
Nil obstant uigiles stulte Pilate tui.  
Num truculenta DEO facies uiuescere corpus,  
Inq; auras uicta morte redire uetet?  
Hic cum coelesti uictor uirtute resurgat,  
Mortalis nec iam corporis ossa gerat?  
Interea tanti celebratur pompa triumphi,  
Clarus & incedit uictor honore nouo.  
Et ueluti Romæ si quis superauerat hostes,  
Ut sua subijcerent subdita colla iugo.

Ausoniam



*Ausoniam uictor, populo spectante, per urbem  
More triumphali, uectus ouabat equo.*

*Ac alia*



Ac aliqui currum comitati signa ferebant,  
Exutusq; suis uestibus hostis erat.  
In Capitolinam tandem cum uenerat arcem,  
Qui modo uictori foedere iunctus erat.  
Exuuias hostis spoliatas inde ferebat,  
Deniq; laudabat mente fauente DEVM.  
Omne quod dextro uictoria parta fuisset,  
Libertasq; Deo uindice tuta foret.  
Inde triumphanti populus Pæana canebat,  
Præmia nam uirtus digna labore capit.  
Sic etiam recipit cum Christus ab hoste triumphum,  
In curru, populo uectus ouante, uenit.  
Electiq; gerunt iuuenes erepta Trophæa  
Armaq;, quæ Stygio uictor ab hoste tulit.  
Chirographum uictæ, dependet ab arbore, legis  
Iure facit stricto nos nec, ut ante, reos.  
Præterea currum capti comitantur & hostes,  
Ius Acherontæi qui tenuère lacus.  
Ac ibi præ reliquis Satanas, regnator Auerni,  
Hirsutus, capræ cornua more gerit.  
Iactat ad astra globos, truculentos spirat & ignes,  
Dum dolet hæc Christi se iuga dura pati.  
Hunc mors consequitur iaculis insignis, & arcu  
Mortua uis cuius debilitata iacet.  
Hæc sua terribili distentat guttura rictu,  
Restat & in toto corpore nulla cutis.

Ipsum

Ipsius ut tenui filo consuta uidentur  
Ossa, nec intrepidè, ne cadat, ire potest.  
Romanae, sequitur mortem, lupus ipse cathedrae,  
Bestia quæ nomen Pontificale tenet.  
Tempora triplicibus cuius sunt cincta coronis,  
E spinis nexum qui diadema gerit.  
Ipsius abraſo capitis de uertice pendent.  
Eumenides laniant huius & ungue genas.  
Post Papam ueniunt maledicta catharmata mundi,  
Veste cucullata rafaq; monstra, lupi.  
Hanc seriem tandem uastator Turca secutus,  
Sub præſens Christi cogitur ire iugum.  
Ordine digestos omnes recitabo nec hostes,  
Damnati poenas qui subière graues.  
Si quia complecti conarer carmine quo suis,  
Deficeret breuior uocibus hora meis.  
Crimina sic meritis pensantur atrocias poenis,  
Serius & maior poena luenda uenit.  
Sed niuea currum præcedunt ueste Prophetae,  
Letaq; currenti pollice pleetra mouent.  
Atq; triumphanti cantant dulcissima Christo  
Carmina, dum pulsant, fila sonora Lyrae.  
Hos & Apostolicus comitatur in ordine coetus,  
Vox Euangelij cuius ab ore sonat.  
Pars cytharas tractat, pars æris cornua flexi,  
Parsq; mouet manibus tergora densa boum.

Pars


Pars etiam Christi depingit carmine laudes,  
Diuersosq; facit tibia tacta modos.  
Organa, naba, lyræ resonant concentibus, omnes,  
Et fremitu summo uociferantur I O.  
Ac celebrant Christi tanta cum laude triumphum,  
Huius honorifice nomen in astra ferunt.  
Quod fuerit lapsæ dux, fons & origo salutis,  
Nostra reuertatur quo mediante salus.  
Vulnera per cuius liuorem nostra tegantur,  
Iusti sidereas ut teneamus opes.  
Victor in ætheream sed cum peruenerat arcem,  
Humani generis captus & hostis erat.  
Exuuias ibi distribuit pro more triumphi,  
Simus ut & laudis pars aliquanta sue.  
Doctores alios nobis largitur, ut ore  
Intrepido doceant Relligionis opus.  
Pastores alios donat, sanctosq; Prophetas,  
Crescat ut in uerbo uera propago suo.  
Est etiam nobis donata remissio culpæ,  
Ut sint iustifica pectora iusta fide.  
Cum patris offensi iustamq; remouerit iram,  
Hæredes regni nos iubet esse sui.  
Omnia damnantis uicit quia uincula legis,  
Ad superos nobis & patefecit iter.  
Vult & ut ipsius credentes facta sequamur  
Nos ad idem, mortis si uocet hora, iugum.

F

EE

78





*Et nos morte sua testabitur esse redemptos,  
Quando Dei fontes stabimus ante thronum.*

*Sanctus*

Sanctus at in primis nobis donatur ab ipsa  
Spiritus, æterni fons & origo boni.  
Excitat hic animas tristes uerèq; dolentes,  
Pectora uiuificans nostra uigore suo.  
Credentum missus trepidantia corda subintrat,  
Efficiens motus corde uolente novos.  
Aethereæ purgat sedem & domicilia mentis,  
Atq; uoluntatem dat meliora sequi.  
Pugnaci renouat motus in corde placentes  
Mens ut conformis gaudeat esse Deo.  
Labitur in sensus animæ dulcissimus hospes,  
Et stabili firmos efficit esse fide.  
Utq; suo præsens astat paracletus amico,  
Iudicio quoties res peragenda fori est.  
Astat & alloquitur, monitis trepidantia quamuis  
Instruit & fida pectora uoce mouet,  
Sic diuina etiam miseris solatia præstas,  
Sic monitis firmas Spiritus alme tuis.  
Cumq; opus est, rhetor causam dictando peroras,  
Suggeris & trepido uerba sonanda reo.  
Aduersis quoties premitur mens ægra periculis,  
Nec requiem subita sentit, ut optat, ope:  
Tu Solator ades, munisq; fidelia uerbo  
Agmina, sustentent ut sua damna fide.  
Inde cies docili motus in corde nouatos,  
Conuersosq; malis speq; fideq; leuas.

Vt possint cupiantq; Deo parère, iubenti  
Impositam magno pectore ferre crucem.  
Dumq; aliquis peccans sibi conscius instat, & audet  
Inuisum sceleri continuare scelus:  
Non habitas illum, non unquam templa subibis,  
Talia quæ turpi sordida labe iacent.  
Numen enim castum uelut es sine sordibus ullis,  
Sic puras mentes coelitus autor amas.  
Sanctus ut es sic mente pios uis uiuere sancta,  
Non bene cum certa stant mala facta fide.  
Tum uelut occiduis Zephyrus cum spirat ab undis,  
Aurea dum Tauri cornua Phœbus habet.  
Mollificat terræ flatu penetrante meatus,  
Et subit hyberno rura perusta gelu.  
Tunc facili glebas opera contundit arator,  
Semina foecundæ lecta daturus humo.  
Imq; auidè recipit tellus & semina mollit,  
Intus uiuifico quando calore uiget:  
Sit tuus ille calor, cum nostros occupat artus,  
Et penetrat fontem cordis in arce bonum;  
Tum uerò sensus uitalibus irrigat auris,  
Incensoq; nouum pectus amore ferit.  
Vnanimiq; Deo sanctos adducit amore,  
Saluifico placeant ut pia corda Patri.  
Deniq; ne dubitent instaurans erigit omnes,  
Et precibus flammis subijcet ipse suas.

Infirmas

Infirmas solaris enim Deus inclyte mentes,  
Firmaq; constanti robore corda facis.  
Tanta Triumphator largitur munera nobis,  
Aethere.e Christus cum sit in arce poli.  
Sic homo solius seruatus munere Christi,  
Nunc rursus placidum se scit habere Patrem.  
Sed languet ueteris tardatus uulnere lapsus,  
Nec sic agnoscit nouit ut ante Deum.  
Attamen exiguas scintillas pectore sentit,  
Paruaq; uix primæ semina lucis habet.  
Que tamen ipsa placent & ceu perfecta uidentur,  
Ob meritum exhibiti seminis atq; preces.  
Sed tu quæso meos ad finem Christe labores  
Perducas, noster fessus anhelat equus.  
Nunc igitur Christi quos mors pretiosa redemit,  
O homines grata hæc carpite dona manu.  
Ad Christum uultus pendentem uertite uestros,  
Cingat ut amplexu pectora uestra suo.  
Hoc mo. iente datur gratissima uita fideli,  
Hoc surgente pij tempora leta leuant.  
Ergo uolet consors huius qui muneris esse,  
Comprehendat uera munera tanta fide.  
Et studeat summi semper templum esse Tonantis,  
Conseruans flatus dona beata sacri.  
Quod fit, ubi ueneranda animo mysteria uerbi  
Concipit, & fido pectore semper amat.

Et studet audita uerbi resipiscere uoce,  
Omneq; propositum deseruisse mali.  
Tunc præsto Deus est, nec iam contentus Olympo,  
Spiritus miscet se uelut aura tuis.  
Ilico scintillam fidei spiramine læto  
Suscitatur, ut plenas nutriat aucta faces.  
Subsequitur series uirtutum cætera deinceps,  
Ut solet exorta Sole redire dies.  
Diligit autorem, mens haud ingrata bonorum,  
Ponit in hoc uno spemq; fidemq; Deo.  
Interea si quid pro religione ferendum est,  
Seu patitur meritis plurima turba suis:  
Agnoscat culpam, patiendo cætera uincit.  
Sed non solamen spesq; salutis abest.  
Sic quicumq; Deum & redimentis munera Christi  
Aspicit, & mores hoc præeunte regit.  
Acceptus placet ille Deo, & coelestia dona  
Sortitus, tandem regna beata feret.

Summe Pater, coeli, terræq; marisq; Creator,  
Qui sine principio qui sine fine manes,  
Accipe quas agimus toto tibi pectore grates,  
Accipe depromunt quæ tibi uota piæ.  
Mitte tuum Flatum qui numine corda gubernet,  
Muniat & firma pectora nostra fide.

Ut Nda



Vt Natiq; tuumq; animo recolamus amorem,  
Factaq; praestemus grata subinde tibi.  
Et tu sancta ueni sacri spiraminis aura,  
Credentumq; tuo numine corda reple.  
Atq; tui in nobis ignem succendito amoris,  
Simus ut unanimi credula turba fide.  
Vt quondam Solyma fueras operatus in urbe,  
Linguarum uarios plebe sonante modos.  
Sic concede fidem nobis agnoscere reclam,  
Atq; Deo placitas semper mire uias.  
Vtq; tuo arbitrio ratio sit congrua uita,  
Tu rege propitio numine corda Deus.  
At tu Christe Deus, Stygij superator Auerni,  
Qui Phlegetontei uincula tollis aquae.  
Quis tibi condignas tanto pro munere grates,  
Aequa uel ardenti pectore uota feret?  
Victa quod infernae fuerint tot monstra paludis,  
Te duce, quo redijt uindice nostra salus.  
Haec nisi nam cura soli tibi Christe fuisset,  
Atq; redemisses nos bonitate tua.  
Praeda fuisset tandem sperata Draconis,  
Nemo caput Stygijs exeruisset aquis.  
Te duce sed nostrae labis peccata teguntur,  
Redditur offensi lenis & ira patris.  
Ad superos cum non prius aspirare liceret,  
Esset & etherae ianua clausa uiae.

Te duce

Te duce fit nobis aditus, te præside patris,  
Denuo placati regna beata patent.  
Soluimus ergo tibi deuoto pectore grates,  
Sanguine quod sumus turba redempta tuo.  
Et placeat petimus tibi nostra infantia, quorum  
Res tantas rudior dicere lingua nequit.  
In nobis etiam posthac tibi collige cœtum,  
Laus tua lactenti cuius ab ore sonet.  
Cœlica diuini mysteria protege uerbi,  
Spargantur Satanae ne qua uenena dolis.  
Reddeq; speratae florentia tempora pacis,  
Ut tuus hoc placido tempore crescat honos.  
Sœuiat & quamuis in tanto turbine mundus,  
Et uelit oppressum nomen id esse tuum.  
Tu tamen abiectam defendas Christe Sareptam,  
Halcionum præbens hospita tecta pijs.  
Morte uocante tuas donec migremus in auras,  
Ac ibi promissas possideamus opes.

F I N I S.

E R R A T A.

A. folio 4. facie 1 pro laudare lege laudari.  
Ibidem lege nolunt pro uolunt.

C. 3. fol. 1. facie lege dixti pro dixit  
Ibidem facie 2. lege uiros pro uires.

D. 4. fa. 2. accipite pro arripite.

29 4182

ULB Halle  
004 974 59X


3



TA → OL

m.c.





B.I.G.

Farbkarte #13

HISTORIA  
REATIONIS, LAPSVS  
T REPARATIONIS HOMINIS  
PIO STUDIO ELEGIACO  
carmine contexta



M. THOMA MAVVERO  
SILESIO.



ANNO 1558. VVITEBER  
gæ ex officina Laurentij  
Schuuenck.

*Sunt chi Cyri. v.*

